



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **De Vita Et Rebus Gestis Christophori Bernardi Episcopi Et Principis Monasteriensis Decas**

**Alpen, Johann von**

**Coesfeldiae, 1694**

41. Batavorum ad C. B. litteræ, Ejusdem responsoriæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68495)



quam temporis, rerumque successus videbitur postulare, ita tamen, ut nec in fœdera cum aliis coëant, nec alterius cuiusvis præsidium admittant, nisi Rep. consentiente. Oblatam pecuniarum mutuacionem Monasterienses amplectuntur, amicorum suafu, qui sicut à Suecis etiam abstractos Cives volebant, ita esse explicabant quæsitæ protectionis exordium, nec magis Civitatem ad annui solutionem census, quam Remp. ad Studiosius cavendum, ne Civitas pereat, hac ratione obligatum iri.

Et quamvis Princeps re intellectâ in- *Recla-*  
terpositis statim litteris obsisteret, ne ar- *mante*  
gentum fœnebre locaret Resp. *Haud Princi-*  
*enim municipalem & subditam Civita-* *pe.*  
*tem posse sine suo consensu fœnori pecu-*  
*niam accipere; neq; se neq; successores*  
*laturus unquam, ut census solveretur:*  
nihilominus decies mille imperiales hac  
vice numerati sunt, & promissa quot men-  
sibus summa etiam auctior, si quidem res  
Civitatis id exigerent; è contra Cives &  
se, & sua, Urbisque facultates omnes op-  
pignorârunt, subjeceruntque cuiusvis loci  
foro, & nominatum executioni ipsius Reip,  
militari.

41.

Ordines verò Tubicinem expediunt *Batavo-*  
cum epistola ad Principem, quâ non sine rum ad  
*mœrore intelligere se testantur ingen-* *C.B. lit-*  
*tem sera.*



1660.

468 CHRISTOPH. BERNARD.

tem istis locis belli apparatus, & peregrini etiam militis adventum; haud alio, ut apparet, fine, quam ut paulatim Monasterium obsideatur. Id non tantum commercii utrinque incommodaturum, sed & illam copiarum in confinibus hospitacionem Reip. suspectam esse. Adhuc Civitatem, si ope sua destituta contingeret, desperato forsitan animo externos Reges imploraturam, quorum praesidio facile incolumis servaretur. Eos esse posse; quorum vicinia, cum primis hoc rerum statu, Provinciis Confederatis periculosa foret. Et ne sedes belli figatur eo tractu, quo indubie Resp. involvi debeat, securitatem Provinciarum imponere Ordinibus necessitatem sese interponendi, ut dissensiones ea amica compositione terminentur. Rogare se Principem, hanc ut armis anteponat, & copias militum missas faciat, omniaque in priorem statum reponat. Se tunc vel Haga Comitum, vel si visum fuerit, alibi Delegatorum opera prompte collaturos, qua ad promovendam equam, honestamque compositionem conducere videbuntur. Id ipsum pariter communicant Civitati & Friquetio Caesaris Ministro.

C. Bernardi  
responsoria.

Responsionis, quam cum eodem baiulo Princeps actutum remisit, argumentum



mentum erat. Curam Diocesis post se ad Casarem & Imperium pertinere, ad quos etiam spectet corrigere, si quid ibi perperam agatur. Frustra externos tangi sollicitudine, quam sibi imposuerit & Casareani & proprii militis hospitatio. Eam solum spectare ad Provincia sibi credita defensionem. Securum se, ne Reges exteri Monasteriensibus subsidio sint, aut si etiam velint, curaturum omnino, ut frustrentur. Eas enim, quae DEI laus sit, & sibi & sociis vires superesse. Cum autem adeo extollant Ordines, favorem commerciorum, mirari se cur necdum sublata sint eorum impedimenta, quae ad Rhenum & Amasum flavios, unam belli contra Hispanos gesti, jam pridem cessantis necessitatem, iis imposuisse obtendant. Sane suadere se, ne praetextu commerciorum abutantur ad invidiam, odiumque vicinarum omnium nationum. Dissensionem cum Civitate sua Monasterio, rem esse Confœderatis Ordinibus prorsus alienam, cui confidit non magis pro sua prudentia se implicituros, quam ipse nuper involverit se discordantibus mutuo Transisalanis. Si interpositione opus sit, Casarem, Imperium & Principes esse, ad hos curam hanc, non ad externos pertinere.

Brat